



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum  
Christianarum Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. VII. De Paulo Samozateno haeretico.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

piscopus, cujus doctissima exstant opuscula, martyrio coronatur. *Stephanus* quoque & *Xystus* Romæ Episcopi, decedunt martyrio.

## C A P. VII.

*De Paulo Samozateno heretico.*

Itaq; post *Xystum* Romanum Pontificem *Dionysius* subrogatur. *Paulus* de *Samozata* apud Antiochiam suscipit sacerdotiū. Hic in hæresin devolvitur, dicens: *Christum communis naturæ tantummodo hominem fuisse*. Tunc celebratur Concilium, rogaturque *Dionysius* adesse: qui senectutis causa prohibitus, adest per Epistolam. Statuitur *Paulus* in medio, & frequenti tractatu & disputationibus arguitur, confidentibus venerabilibus Episcopis, & blasphemiam ejus publicantibus, *Firmiliano* scilicet à *Cæsarea* Cappadociæ, *Heleno* Sardenfi, *Nicomacho* ab Iconio, & *Hymenæo* Hierosolymorum præcipuo sacerdote, & vicinæ huic urbi *Cæsareæ* *Theotecnno*, *Athenodoro* & *Gregorio*, Ponti provinciæ sacerdotibus. Hic autem *Gregorius* cunctorum sermone celeberrimus habetur, & potens in operatione signorum. Hic forte duobus fratribus, habentibus possessionem stagni, & de captura piscium sæpe litigantibus usque ad humani sanguinis effusionem, medius intervenit, & facta oratione, cruentam deinceps inhibens fratrum contentionem, aquas abire jubet, & recedunt, fitque solum frugum, quod antea fuerat navium, ferax. Sed & in quodam loco, cum ad instruendam

dam



dam ecclesiam rupes obesset, pernoctans in oratione, transtulit rupem. Item cum per Alpes transfret aliquando, necessitate nivium coactus, ad fanum diver- tit Apollinis, ibique pernoctat. Quo mane recedente Dæmon poscitur dare responsa, ut prius, sed obmute- scit. Consulitur à Sacerdote, opponit titulum adven- tus Gregorii. Mox sacerdos occupat viam, perveni- ensque ad Gregorium, querelam expulsi numinis ex- ponit, quæstumque deplorat amissum. At ille scribit Epistolam in hæc verba. GREGORIUS APOLLINI. *Permitto tibi redire ad locum tuum, & agere quæ consuevi- sti.* Hanc Sacerdos ad fanum fert Epistolam, ponitque juxta simulachrum. Adest iterum Dæmon, iterum dat responsa. Tunc Sacerdos in semetipsum conversus ait: *Quomodo non multo melior est Gregorius isto Apolline, cujus obtemperat jussis?* Et descendens eadem hora ad Gregorium, referensque Epistolam, rem ordine pandit, utque se offerat Deo, rogat. Tunc relicta genti- litate, factus est ab eo catechumenus, & cum se castis- simæ vitæ & abstinentissimæ mancipasset, etiam bap- tisma consequitur, & in tantum fide & virtute profi- cit, quod beati Gregorii successor in Episcopatu effi- citur. Sed & idem Gregorius ingenii sui nobis in par- vo maxima monumenta dereliquit.

C A P. IIX.

*Metaphrasis Gregorii Martyris & Episcopi  
Neocæsarea, & fides.*

K

In